

D. O. M. A.
DISSERTATIO POLITICA
DE

LEGATO ET
LEGATIONE.

QVAM

RAPHAEL COMES DE LESNO,
PALATINIDES BELSENSIS, ETC.


Sub praesidio

Consultissimi & Excellentissimi VIRI,

DN. JOAN. RUDOLPHI BURCKHARDI,
J. U. D. & Philosophiæ Practicæ in celeberrimâ
Rauracorum Academiâ Professoris ordi-
narii, designati R E C T O R I S
Magnifici,

Publicæ ventilationi subjicit

Ad diem 13. Junii, Anni c l o l o c x x v i i i .



B A S I L E Æ,
Typis descriebat JOAN. JACOBUS GENATH.

J. R. Burckhardi
Legatus

18
2369
1628
13







DISSERTATIO POLITICA
DE
LEGATO ET LE-
GATIONE.



DISPUTATURIS de præclarissimo in Repub.
LEGATIONIS munere, visum est proprii ac veri
LEGATI definitionem præmittere, ut inde im-
propriè ac minùs verè dictos Legatos discernere
à veris possimus.

I.

Est ergo propriè dictus LEGATUS, Mandatarius, publico negotio conficiendo missus, ab eo, qui potestatem legandi habet, ad Personam similem.

II.

Ex hac definitione patet; NUNCIOs Legatos propriè dici non posse. Nuncius enim sine solennibus, sine pompâ & strepitu, de rebus privatis venit, ab iis etiam, qui potestatem legandi nullam habent, mittitur: quin ipse etiam quandoque nullius missu venit.

III.

Eadem hæc definitio INTERPRETES excludit. Hi enim sunt, qui mandata, verba, & sententias nostras, aliis interpretantur, sine solenni missione, & sine jure legationis, adjungiq; Legatis solent, linguæ interpretandæ gratiâ, apud exteros, Interpretes quoq; dicuntur scriptorum. Tandem, Interpretes etiam pro præsentibus sunt, quem non intelligimus: cum legati solùm pro absente agant.

IV.

Sed quid de AGENTIBUS dicemus? Nec illos Legatos vocabimus. Licet enim securitatem hi habeant Legatorum, non tamen sessionem, & tam amplam potestatem; hosq; ideo loco

Legatorum mitti nonnulli putant, quando metuitur, ne Legati ut decet, honorentur, vel aliis postponantur. *Et hanc ob causam Horomannus Gallia Reges in aula Casareâ Legatum non habere, sed Agentem, propter sessionis cum Hispano certamen, dicit.* Mittuntur etiam quandoque Agentes, sumptuum minuendorum causâ.

V.

OBSIDES quoque Legatos dici non posse, inde verum est, quod hi ob datam fidem dantur, omninoque hostibus arrhabonis instar dantur. Legatus verò nemini, præterquâ suo Principi, sese fide obstringit.

VI.

COMMISSARIOS porrò & DEPUTATOS, à veri Legati nomine excludimus. Licet enim hi aliquando publicæ rei gratiâ mittantur, non mittuntur tamen solemniter, nec ab eo, qui potestatem legandi habet, utpote ab inferiori ad superiorem, qui ideo rectiùs Deputatum mittere dicitur. Ut & superior ad inferiorem itidem non Legatum, sed Commissarium ablegat, cum Legatus non nisi inter pares mittatur.

VII.

Eos tandem hinc submovemus, qui LIBERÂ funguntur LEGATIONE. Hi enim publico tantum nomine commendati, ornatique, re ipsâ ob privatam exeunt occasionem. Et hæ legationes, ornamenti tantum causâ impetrari solebât, apud Romanos, quò gratiosiores ad sua hi essent negotia, qui impetrabant, ut honestiùs se saltè habere, ubi degerent. *Alb. Gentil. 1. de leg. 8. Legationis hujus libera exemplū habemus in Scipione Nasica, qui hanc, teste Plutarcho, à Senatu impetravit, ut tutiùs in Asia esset, in quam, plebis furorem ob necem Gracchi reformidans, proficiscebatur.*

IX.

Sed satis de generibus eorum, qui Legati non sunt, dictum est. Inspiciamus nunc verorum & propriè dictorum Legatorum.

IX.

Sunt nonnulli, qui legationem in cœlestem seu sacram, & humanam partiuntur: & CŒLESTEM vocant, quæ vel ad Deum ab hominibus, vel à Deo ad homines mittitur. cujus opinionis quoque est Albericus Gentilis. Nos verò hanc istorum
rum

rum partitionem consistere non posse, cum accuratissimo Legati sui instructore Kirchnero statuimus, qui hanc ideo non immeritò *cap. 1. lib. 1.* reprehendit, quòd Legationum jus, quod fas gentium respicit, inter Deum, summum rerum omnium Monarcham, & terrigenas, i.e. infimos Dei vassallos, propriè intelligi nullum queat.

X.

Hinc infert, neque APOSTOLOS jure gentium appellandos Legatos, neque ANGELOS: licèt missi sint ad homines; sed Nuntios potiùs & Interpretes, à potentissimo, ad subjectissimos missos, ut voluntatè, gratià, & mandata divina referrent. Quanquam si qui ad SYNODOS, præsertim Oecumenicas, mittantur, Legatorum jure eos ac nomine frui, sacramque eam Legationem dici posse non abnuerim.

XI.

Nobis pro duplici tempore Reipubl. pacis nempe & belli, duo genera erunt Legatorum, ita ut alius sit TOGATUS, qui rogæ seu pacis, alius SAGATUS, qui belli negotia conficiat.

XII.

Legatus BELLICUS est, qui publico nomine res armis ablatas repetiturus, bellum hostibus indicturus, aliudque hostile significaturus, mittitur. Tales olim Feciales Romanis, *νεγκυες* Græcis, i.e. Caduceatores erant. Quanquam inficias ire nolim, fuisse in his, ob quæ à nostris Legatis diversi etiam censiendi sint.

XIII.

TOGATUS verò is est, qui ob quodvis negotium mittitur, quod bellicum nihil sapiat. *Alb. Gent. 1. de leg. 5.* Et licèt hæ tales legationes de rebus plurimis esse possint, ad duo tamè genera revocari possunt, ut sint aut NEGOTII, aut HONORIS causâ susceptæ.

XIV.

NEGOTII vocabulum hîc sumimus, pro tractationibus illis omnibus, quas publicæ rei ergò Legati suorum nomine perficiunt: ut, cum amicitia avitæ inter Principes & Respub. renovantur, affinitates & nuptiæ conciliantur, auxilia & suppetiæ petuntur, societates ineuntur; & similia innumera.

X V.

Legationes HONORIS ergò sunt, quæ honorificam tantùm præsentiam, & officium exhibent illi, ad quem mittuntur, vel, ut Tacitus lib. 13. Annal. inquit, mittuntur officii ergò (Legati,) qui gratulari, dolere, atque id generis reliqua peragere debent. Et tales missi sunt Legati quondam ad Germanicum, qui eum mœstum Augusti morte solarentur: missi ab Iliensibus ad Tiberium, qui idem officium in filiorum morte ei præstarent. Imò & hodie inter Reges & Principes esse id in usu, experientia docet quotidiana.

X V I.

Dicitur ea Legatio aliis OFFICIOSA; licet hæc, quam illi definiunt, magis sit voluntatis quodammodò coactæ. Hanc talem censemus esse eam, quam Vasalli nonnunquam Dominis suis mittere tenentur. Et ob eam rem (scribit Guicciardinus) Pontificem indignatum Regi Catholico, quòd sibi recens creato, non misisset legationem pedum exosculandorum gratiâ: illud enim Rex Sicilia & Neapolis facere tenetur, tanquam Pontificis beneficiarius.

X V I I.

Sunt quoq; Legati, alii RESIDENTES, alii TEMPORARIJ. RESIDENTES (aliàs etiam Perpetui, item Ordinarii nonnullis) sunt, qui non ad definitum certumq; negotium, sed ad tempus, sive certum, sive incertum, ita mittuntur, ut, dum in legatione degunt, omnia tractent, faciantque, quæ fuerint è re mittentis. Besold. de leg. cap. 2. n. 11. Hanc legationis speciem mediam docti quidam Viri inter Agentes & Legatos (ita ut his inferiores, illis verò sint superiores) constituunt.

X I I X.

TEMPORARIUS Legatus est is, qui ad certum aliquod tempus emittitur, ob certum aliquod negotium, quo confecto, mox domum redire tenetur.

X I X.

Porrò, Legati alii sunt LIBERI, alii NON. LIBERI sunt illi, qui nullâ certâ præscriptâ formulâ potestatem habent dicendi & agendi, quodcunque videtur esse è re causæ illius, quæ demandata est. Hujus talis legationis multa extant in Historiis tum veteribus, tum novis exempla. Sic missos olim ab Aetolis Legatos, Phaneam & Democlem, ad Romanos, cum tali potestate, ut, quod è re
Aetolo-

4

Aetolorum esse judicarent, bonâ fide agerent, ex priscâ historiâ Kirchne-
rus 1. de leg. 2. n. 31. refert. Carolum quoq; Ducem Burgundia tales Lega-
tos ad Regem Gallie Ludovicum XI. datâ eis chartâ blancâ seu purâ,
nonnunquam misisse, Cominaeus, ejus temporis scriptor, testis est. Hodie
quoq; eundem legandi modum in usu esse scimus, in rebus præsertim in-
tricatis & ancipitis consilii.

X X.

Legatus, quem MINUS-LIBERUM diximus, est is, qui certa
mandata, tanquã scopum præfixum, habet, à quibus ne latum
quidẽ unguem discedere tenetur. Formularium nonnulli vo-
cant, à formulâ seu instructione, extra cujus cancellos egredi
talem Legatum religio est.

X X I.

Sunt & Legati, qui nihil dicere, sed AGERE tantum debent.
Talem legationem missam esse à Rege Scytharum ad Darium, refert He-
rodotus Melpom. sive lib. 4. cum ave, sorice, ranâ, & sagittis. Num refer-
re huc possumus & Caji Popilii legationem ad Antiochum, qui literas ei
à Romanis tradidit, utq; omnium primùm legeret, jussit? Quibus perle-
ctis si mox paruisset Rex, confecta jam legatio fuisset. Vid. Just. lib. 34.
Liv. lib. 45. [Cum Scythica illa legatione affine aliquid habet mutum il-
lud Tarquini Superbi responsum, Nuncio filii Sexti datum, quando in
borto obambulans, tacitus summa papaverum capita (ut Livius habet
lib. 1.) aut lilia (ut Ovid. Fast. 2.) baculo decussit.]

X X I I.

Perspectis variis generibus LEGATI, videamus porrò,
quisnam ille sit, qui LEGATI MITTENDI POTESTATEM
habeat.

X X I I I.

Mittere ergo Legatos ei soli cõcessum est, penes quem sum-
ma est potestas, seu qui NEMINEM præter DEUM SUPERIO-
REM agnoscit, nulli sacramento devinctus est, putà Imperato-
res, Reges, Principes summos, Respublicas item Liberas, ut-
pote Venetam, Helveticam, &c.

X X I V.

Ad PRINCIPES IMPERII ROMANO-GERMANICI quod
attinet, ad Comitia quidem Imperii ABLEGATOS (Germa-
nicè, Abgesandten) mittunt, ad alios verò cum intra, tum extra
Impe-

Imperium Principes de negotiis sui Principatus, Legatos mittere & recipere possunt, idque ex jure & privilegio Liberi Imperii, & longâ observatione. *Vid. Kirchnerus cap. 3. n. 11. & seqq. Besold. cap. 3. sect. 2.*

XXV.

COMITES itidem, qui immediatè subsunt Imperio, mittere Legatos de publicis suis negotiis ad alios Principes, vel Comites, vel Status possunt. Quod idem de CIVITATIBUS LIBERIS Imperii judicandum est. Secùs autem est de illis, quæ Principibus & Comitibus subsunt.

XXVI.

CIVITATUM HANSEATICARUM COLLEGIUM Legatos mittere non posse, Kirchnerus disputat. Nos Besoldum hac in parte sequimur, qui gravissimis ductus rationibus Kirchnero sese opponit, & Civitatibus hisce jus legationum mittendarum vendicat, quod ex jure Civitatum Imperialium, quæ inter eas sunt, totum Collegium cõsecutum esse ait, & cæteras, ex Principis concessione & præscriptione. Sed & hodierna id comprobatur experientia: videmus enim Collegium hoc à Regibus Principibusque legationibus cohonestatum: rùm etiam Reges Principesque eosdem, Collegii hujus Legatos gratiosè excepisse.

XXVII.

ECCLESIASTICI & CLERICI, tanquam Clerici, quorù non est secularia negotia & jura agitare, legationis jus, quod ex jure gentium descendit, habere omnino nequeunt. Verùm cum hodie Archiepiscopi & Episcopi non solum Clerici sint, sed etiam Principes seculares habeantur, atque ita (ut quidam ait) uno pugno codicem, altero gladium teneant, Constitutione quidem Imperii ita ferente, æquè illis ac aliis Principibus, jus debetur legationis.

XXIX.

PUPILLI ac MINORES, quia id ætatis & intellectus non sunt, ut admoveri Principatum gubernaculis possint, & per se præesse Rebus publicis, cum Majestatis jura nondum nacti sint, nec jus legationum habent. *Kirchn. 1. de leg. 3. n. 49. Tutores*

tores itaque pro iis, & illi, quibus Principatus administratio commendata est, Legatos mittent.

XXIX.

FœMINA, ubi summam habet potestatem, & jus simul habet legationis mittendæ. Sic Irene Imperatrix Constantinopolitana Legatum ad Carolum Magnum olim misit. Margaretam quoque Dania, Suecia & Norvegia Reginam, ut & superiori seculo Elisabetham Angliæ, hinc inde Legatos misisse & iterum recepisse, ex Historiis notum est.

XXX.

Quæ verò ex MATRIMONII RADIO Reginae vel Principes sunt, Legatum non mittunt, sed Nuntium, nisi ille, quæ his legibus viro nubunt, ut penes ipsas Majestatis jura maneant. Sic superiori seculo fecit Maria Anglorum Regina, quæ Philippo Regi Hispaniarum eâ conditione nupsit, ut jura Majestatis in solidum penes eam remanerent.

XXXI.

REBELLES jus legationis mittendæ nullo modo habent, secus, subditi hoc jus sublime delinquendo acquirerent. *Alb. Gent. 2. de leg. 7.* Non injuriâ etiam à Principe prohibetur, cum Principi in subditos suos, non secus ac in fugitivum servum Domino jus salvum & auctoritas perpetuò maneant, *Kirchn. 1. de leg. 3. n. 59.* imò jure meritoque à talibus missi interdum tractantur peissimè. Idèò Romani veteres, cum Spartacus, aliàs servus, assumptis audacissimis quibusque gladiatoribus, seditione in Imperio mota, ad eos misisset, missos agnoscere pro Legatis noluerunt. Quin & in illâ agrariâ seditione, Flacci filius, cum quasi legatus ad Senatum mitteretur, comprehensus, & carceri tanquam alter seditiosorum inclusus est. Ex eodem jure fortè Philippus II. Rex Hispaniarum aliquoties Legatos Belgicos, tanquam rebellium & seditiosorum, malè tractavit. Quanquam, ne omnia excusationis & reconciliationis media rebellibus adimantur, æquius esset & utilius Reipublicæ, eos nonnunquam admittere, audire, securos præstare, saltè ut Agentes, aut Deputatos.

XXXII.

A PRÆDONIBUS & LATRONIBUS missi, non ut Legati, sed ut scelerum administri haberi debent. *Kirchn. 1. de leg. 3.*

B

30



n.74.75. Quid enim juris cum illis sit, qui omne humanitatis vinculum exuerunt? Et rectè Cicero 3. *Offic.* Belli jura intercedere cum istis non posse, inquit, qui sunt omnium communes hostes. *Justè ergo fecit Rudolphus I. Imperator, qui prædonum Thuringicorum nuntios comprehendi & necari jussit.*

XXXIII.

PROSCRIPTI, quos bannitos aliàs vocant, cum omnia privilegia in eo Regno, ubi proscripti sunt, amittant, & civiliter mortui sint: in eodem Regno vel Imperio retinere etiam jus Legationis non possunt; cum exteris verò per Legatos rectè agere possunt. *Sic superior atas Christiæ Daniæ Regis, Regno à suis exuti & exulis, Legatos ad Carolum V. Imperatorem & alios Principes Imperii vidit. Sic & Wilhelmum Ducem Curlandiae à Regno nostro proscriptum, nihilominus Legatos suos ad Angliæ Regem, Electorem Saxoniae, aliosq; Principes nostrâ atate misisse scimus. Eodem pacto Johanni Georgio Brandenburgico, Duci Jägerndorfensi, anno abhinc septimo, in Poloniâ non nocuit à Cesare proscriptum esse, cum ejus Legatus à Serenissimo Rege nostro ad contactum vexilli admitteretur, quo simultanea de feudo Prusiae investitura ipsi (Marchioni) conferebatur.*

XXXIV.

AD DIVERSÆ RELIGIONIS PRINCIPEM rectè mitti Legatum posse licet nonnulli negent, nos tamè cum Kirchnero aliisq; Viris doctis, diversam tuebimur sententiam. Qui enim jus mittendi Legatum habet, ille potest jure gentium ad totius Orbis gentes mittere. Missio enim, quæ jure gentium fit, spectat & considerat homines ex gentium jure, quâ homines tantum nobiscum sunt, non ex jure vel more ullo Regionis vel Religionis. Nec Pacis jura, Religionis diversitate tolluntur, multò minùs legationis mutuæ commercia, fidei contrarietate abolentur. *Kirchn. 1. de leg. 3. n. 89.*

XXXV.

Sed & experientia ipsa nostram sententiam comprobat. Quoties enim Pontifex ad Ducem Moscoviæ, à Religione Romanâ alienum, Legatos misit? Quoties Imperator Romanorum ad Turcam, Religionis Christianæ hostem? ut alia plurima exempla Legationum, quæ quotidie ferè inter Reges & Prin-

& Principes Religionis diversæ accidere videmus, silentio prætereamus.

XXXVI.

Videamus porrò nunc, QUI & QUALES MITTENDI SINT LEGATI. Ubi notandum, non quemvis de plebis fece, nec temere ad gravissimum hoc legationis onus, sumendum, sed diligentissimam legendorum Legatorum habendam esse rationem, neque urnâ vel sorte, sed summo cum iudicio legendum Legatum.

XXXVII.

Videat igitur lector Legati, ut pro cuiusque statu & conditione Legatum eligat. Non enim decet, ut à Regibus aliisque summis Principibus, è vulgi cœtu viles & plebeji, aut ab infimis Magistratibus supremæ dignitatis homines mittantur. *Besold. de leg. cap. 4. n. 2.*

XXXIX.

Respiciat ergo Princeps legans GENUS Legati. Per genus, NOBILITATEM hîc intelligimus, ex quâ, tanquam ex fonte Virutis, ad omnia præclara officia & munera eligi dignos Viros, antiquissimi in optimè constitutis Rebuspubl. moris fuit. Hunc morem & nunc qui legit Legatum, sequatur. Legat ex Nobilitatis ordine: Nobilitati enim (ut Cic. pro Pub. Sextio, ipse homo aliàs novus, fatetur) omnes favent. Quare Romani veteres meritò laudandi, qui Legatos ex ordine Senatorio, in quo Nobilitatis flos residebat, legebant, semperq; honestissimas legationes ad Reges misisse, ejus Reipublicæ scriptores testantur. Econtrà, meritò olim Ludovicus Galliarum Rex ejus nominis XI. irrisus fuit, qui (teste Cominao lib. 5. cap. 13.) Olivarium quendam Barbitonsorem splendidissimæ legationi ad Burgundicam Domum adhibere solebat.

XXXIX.

Viros tamen LITERATâ NOBILITATE excellentes, non minùs quàm antiquitate generis præstâtes, legendos esse, prudenter cum prudentissimis statuitur. *Kirchn. i. de leg. 4. n. 154.* Et hoc tùm eò magis observandum, quando negotia, quæ demandantur, cum acumen & sagacitatem, tùm interiorem literarum cognitionem desiderant. *Ibid.*

XL.

Noster ergo Legatus esto PRUDENS. Hoc ante omnia in eo requirimus. *Mediante enim stulto, (ut prudentissimus scriptor Cominaeus lib. 1. inquit) nemo unquam rem bonam effecit.* Prudentia verò cum acquiratur tam doctrinâ, quàm experienciâ: utroq; imbutum esse nostrum Legatum volumus. DOCTRINAM in eo non talem requirimus, ut omnia sciat, (*hoc enim divinitatis potius esset, quàm humanitatis:*) sed talem tamen, cujus adminiculo provinciam legationis obire & administrare quàm commodissimè possit.

XLI.

Obibit autem rectè, si sit POLITICUS. Politicos hîc, non ex mente vulgi sumimus, videlicet eos, qui aulicis moribus sint imbuti, qui omnibus sese accommodare, omnibus arridere, gestibus peregrinis, crurumque flexione rectè uti, Principum gratiam venari, favorem aucupari, qui cum omnibus bibere, ludere, & cætera, *quæ dicere nolo, facere*, ad omnium nutum frontem componere, atque omnibus horis sese accommodare nōrunt. quos etsi tales vulgus hodie (ipsis sibi in eo gratulantibus) pro maximis Politicis habeat, & ad cælum usque efferat, nil tamē minùs sunt hi, quàm Politici, veriùs forsan Parasiti & Gnathones nominandi.

XLII.

Nos verò Legatum nostrum, ex mente Platonis aliorumq; doctorum Virorum, Politicum esse volumus, qui Reipub., belli pacisque tempore rectè gubernandæ, qui morum legumque civilium, qui locorum variorum, urbiumq; multarum cognitionem habeat.

XLIII.

Sit porrò Legatus noster, HISTORIÆ tum veteris, tum recentioris PERITUS. Historia enim omnium actionū nostrarū certissima est informatrix. Hæc in Legato eligendo primas quin teneat, nemo prudens inficiabitur. Si enim vult Legatus ejus regionis, in quam mittitur, statum, cōsuetudines, moresq; exploratos habere? Dabit hoc ei Historia. Vult locorum trans-eundorum cognitionem habere? Historia docebit. Vult prisca
Regum

7
Regum Principumq; genealogias, familiarum gentiumq; incrementa & decrementsa nôsse? Discet ex Historiâ.

XLIV.

Commendatû ergo sibi quàm maximè habeat studium hoc Historicum Legatus. Hoc enim ex homine eum quasi numen quoddam efficiet, ut non modò perspicere, sed etiam prævidere multa possit, in obeundâ suâ provinciâ necessaria.

XLV.

DISCIPLINAS, quas vulgò vocant CYCLICAS, si afferat Legatus, non rejicimus; si non habeat, non admodum in eo desideramus. *Kirchn. l. de leg. 4. n. 20.* Licet enim in ingeniis liberalibus hæ summoperè laudandæ, vita tamen cum brevis sit, & ars longa, sufficit Legato illas artes majori diligentia sequi, quæ eum ad legationem suscipiendam, rectèque administrandam instruunt.

XLVI.

Unde, etsi nonnulli Legatum esse velint Mathematicum, Astronomû, Geometram, Poëtam, & Musicum, nos tamè non videmus, quâ ratione artes hæ Legato ad benè administrandâ Provinciam, quam suscepit, usui esse possint. *Dux quidam Holsatiæ Legatus ab Imperatore Romano ad Regem nostrum laudatissimæ memoriæ Stephanum, cum eum ad prosequendû bello Basilidem cohortari vellet, scire se certò dixit, ex constellationibus Astronomicis, Moscum eo ipso anno Polonorum armis iri superatum; ob quod tanquam ineptè prolatum à nostris (teste Varsevicio) Dux ille irrisus, quòd non solum Politicum oratorem, sed & vaticinantem Astronomum ageret.*

XLVII.

Legatum præterea virtutibus Oratoriis excultum esse desideramus. Oratio autem ejus non multiloqua, non vaga, sed brevis argutaq; esse debet. Quin & dicendi suavitate præditum esse volumus: quâ qui destituitur, æquè minùs Legati partibus perfungi potest, ac navis remi expers navigare. *Kirchn. l. de leg. 4. n. 72.* Imò, cum Legatus hodie apud multos Oratoris nomine veniat, quomodo, qui Orator non est, Legatus esse poterit? Sed de oratione Legati fusiùs postea.

XLVIII.

Notandum verò est, diligentissimâ circumspèctione opus

esse, ut pro cuiusq; negotii momēto idoneus eligatur Legatus. Nam (ut ille) non omnia possumus omnes. In rebus ergo ECCLESIASTICIS Theologus optimè mittitur: in negotiis, quæ non nisi à LEGUM PERITIS tractari queunt, Jurisperiti: rebus in BELLICIS militem mittere præstat, quàm aliquem de scholâ hominem: & sic deinceps. *Summa enim hæc legationis lux est, si missi fuerint, qui non modò præclarissimè de rebus, ob quas missi sunt, dicere, sed & qui easdem agere, si opus sit, eodem spiritu possint.* Kirchn. 1. de leg. 4. n. 40.

XLIX.

Verùm dum agimus de Viris, quos prudentes doctrina efficit, eos nō excludimus, qui longo rerum USU & EXPERIENTIÂ prudentiam sibi maximam comparârunt, quiq; licet Græcis vel Latinis literis imbuti non sint, iudicii tamen singulari quodam acumine præ ceteris pollent; quales fuisse nonnunquam Historia docet. *Cominæus, Gallicus ille scriptor acutissimus, nobis exemplo sit. Is nullis literis, nullis linguis, ut ipse fatetur, imbutus, solo tamen rerum magnarum usu & experiētiâ in tantum Virum evasit, ut legationibus in causis gravissimis sæpissimè adhibitus, easdem maximâ cum laude obierit. Plura ejusmodi exempla possent produci; sed hîc Historicum agere non instituti nostri est.*

L.

Cæterùm, cùm prudentia ante annos non veniat, maturior ætas in Legato spectanda est. SENEM igitur potiùs ad hoc munus eligendum censemus, quàm Juvenem aliquem, tùm quòd hoc majorem ille experiētiâ & rerû usum habeat, tùm quòd major insit Senibus GRAVITAS & AUTHORITY, sine quâ splendor legationis vilescit.

LI.

Per Senem autē, non Depontanum illum, qui iterum repuerascit, mente & ingenio vacillat, sed mediocris ætatis hominem intellige, qui ob etatem & vigorem, rebus gerendis aptissimus sit, interq; alios ætatis provec̄toris, majoris usus sit & experiētiæ.

LII.

Quo verò ætatis anno suscipi rite legationes debeant, variæ sunt

20
sunt variorum sententiæ. Chalcidensium olim lege cautum erat; ne quis ante 50. ætatis annum legationem susciperet. Cur tamen juniores etiam admitti ad munus legationis non possint, ratione non video, si cætera senilis prudentiæ instrumenta adsint. *Kirchn. 1. de leg. 4. n. 55.* Exempla que dari possunt plurima, multos infra 50. infra 40. imò infra etiam annum ætatis trigessimum munere hoc legationis præclarissimè functos esse.

L I I I.

Nostrâ ergo sententiâ etiam Juvenes ad munus hoc legationum rectè admitti possunt, ii tamen, qui maturo judicio senili que prudentiâ pollent. *Non enim tam annis & canis, (ut ait Kirchnerus) quàm annosâ prudentiâ & canâ rerum intelligentiâ legendi Legati persona estimanda.* Barbarum itaq; fuit Barbari Turca judicium, qui, quòd ad se à Rege Gallia imberbes Legati venissent, plurimùm stomachatus est, in sui id factum esse dicens contemptum; cui indignanti alter eorum, animosè respondit: *Virum non ex barbâ, neq; mentem hominis ex mento piloso esse judicandâ, alioquin hirci hominibus barbatiore, prudentiores iisdem melioresq; essent censendi.* Ob eandem rem Casari cuidam indignanti, quòd imberbes duos ad se Veneti misissent, simile responsum dederunt Legati: *Si Veneti (inquentes) sapientiam non in corde, sed in barbâ sitam esse credidissent, duos barbatos hircos procul dubio ad Casaream Majestatem misissent.*

L I V.

Si tamen haberi possunt seniores graves, prudentes; præferri eos juvenibus, magis ex majestate esse Legationis censemus. *Kirchn. 1. de leg. 4. n. 65.* Qui idem id dat consilii, ut juvenes simul cum senioribus mittantur, ut nempe juvenilis fervor senili temperetur gravitate; senilis contrà frigiditas & tarditas juvenili calore & alacritate promoveatur. *Quod vidisse se ipse dicit observatum in legatione Persicâ, in quâ seni Persæ, juvenis quidam natione Anglus, etatis mediæ adjunctus erat, anno 1600.*

L V.

Satis, ut puro, jam diximus de Legati prudentiâ. Hanc cætera jam VIRTUTUM CORONA comitari debet, FIDES nempe, FORTITUDO, VERITAS, INTEGRITAS, TEMPERANTIA, &c. Nunc paucis de EXTERNÂ PULCHRITUDINE Legati dicamus.

L V I. Hoc

LVI.

Hoc enim etiam in Legato providendum, ut is corporis pulchritudine à naturâ quasi commendatus mittatur. *Persuasum enim non solum vulgo, sed & prudentibus est, in elegantis corporis domicilio simul animum elegantem habitare. Kirchn. i. de leg. 4. n. 89.* Per pulchritudinem verò hîc, venustatem, mulieribus potiùs, quàm viris convenientem, non intelligimus, sed virilem pulchritudinem, in concinnâ membrorum dispositione & proportionem sitam.

LVII.

Eligi ergo primùm Legatû volumus **STATURÂ** ac **PRO-CERITATE** **JUSTÂ**. Brevioris enim pusillæque staturæ homines sperni contemniq; solent, hosque tales ad gruum potiùs certamina, quàm ad exteros Reges & Principes mittédos, rectè censet Kirchnerus. Eosdem perstringit Naso, inquit:

Si brevis es, sedeas, ne stans videare sedere.

Lepida extat apud Kirchnerum historia, ex Johanne Andréâ citata, de Bononiensi quodam Legato, ad Pontificem Bonifacium misso; qui (Legatus) cum de gravissimis rebus stans peroraret, Pontifex eum (quòd pusillâ staturâ Zachai illius instar esset) flexis genibus verba facere ratus, assurgere & erigi iussit.

LIX.

Ne nimis tamen proceritas sit magna in Legato, quem cyclopem potiùs, quàm hominem dicere possis, aut Aratorem magis, quàm Oratorem. quo dicto Legatum quendam ad Regem Stephanum missum, irrisum fuisse à nostris, Varsevicius in suâ Oratione meminit. Et observatum est, longuriones illos iudicio plerumq; nõ satîs firmo pollere; secundùm illud, quod vulgò dici solet:

Rarò breves humiles vidi, & longos sapientes.

LIX.

Neque ad munus hoc nimis **OBESI** sunt legendi, qui ob crebras anhelationes plùs flant, quàm dicunt; quod audientibus perquàm est molestum. Neque verò etiam **GRACILES** nimis sint & **MACILENTI**, qui, cum Philetâ, necesse habeant soleis suis plumbum subdere, ne venti violentiâ palearum instar abripiantur.

L X. Mul-

L X.

Multò minùs verò mittendos censemus, qui seu naturâ, seu aliquo casu & infortunio, magnum aliquem NÆVUM & VITIUM IN CORPORE SUO habent. Cœcos ergo, (sive naturâ, sive casu,) surdos, claudos, adde, naso, auribus, vel eminentiori aliquo membro truncatos, vel alio quocunq; vitio insigni, vel morbo laborantes omnes excludimus, præsertim autem eos, quos, ut in verberio est, Jupiter ipse sive natura notavit, à quibus omnes naturâ abhorrere solemus, in contemptuque eos quasi habemus. *Catonem Majorem olim Legationem Romanam, ad pacem inter duos Reges, Nicomedem & Prusiam sancientiam, irrisisse, Plutarchus in Catone refert, dixisseq; Legationem à Pop. Rom. mitti, quæ non caput, non pedes, non deniq; cor haberet, quòd unus Legatorũ cicatricosam frontem haberet, alter pedibus laboraret, socordĩ ingenio tertius esset. Notata quoq; (teste Livio lib. 43.) legatio Chalcidensium, quòd Miccion, caput illius legationis, pedibus laborans lecticâ in Senatum Pop. Rom. esset illatus. Ducem quoq; Holsatia Magnum, Friderici Regis Dania fratrem, ad Regem Stephanum Legatum, quòd monoculus ac distortus esset, in Palatio Regis risum excitâsse, refert Var-sevicius.*

L X I.

Quin Principes nonnulli in contemptum sui id factum interpretantur, si Capitones, si Nasones vel Strabones aut id genus homines deformes, vel potiùs monstra ad se missa videant.

L X I I.

Satis de utrâque, internâ nempe & externâ Legati pulchritudine. Sunt & alia nonnulla Legati ornamenta, extra eum posita, GENUS videlicet & FORTUNA. De GENERE *th. 38.* dictum: nunc de ejusdem FORTUNâ paucis. Hanc in Legato quivis mittens requirat. Si quod enim negotium nervo pecuniario indiget, hoc certè; quod cum magnificentiâ etiam munificentiam conjunctam habere debet.

L X I I I.

Adde, quòd communi judicio locupletibus seu ditioribus plùs fidei habeatur, quàm tenuioris fortis hominibus. hi enim

C

facilius flecti munusculis præsumuntur, ut silentii fidem prostituant, arcanaque sui Principis venundent. Minor verò est de illo metus, ne quid contra juramentum committat, qui lares, penates, domumque & familiam locupletem, divitiasque ingentes, tanquã obsides domi relinquit. *Kirchn. 1. de leg. 4. n. 191.*

L X I V.

Non tamen, hoc cum statuimus, PAUPERIORIS fortis homines, Virosque eosdem probos, graves peritosque rerum, si præsertim ingenii & eloquentiæ donis alios superent, à munere hoc Legationis exclusos volumus. quin potius hos tales sumptibus esse juvandos censemus, quò tantæ dignitati familiaris quoque res respondeat.

L X V.

De FœMINÂ quæstio est, an hæc quoque mitti possit in Legatione? Sunt qui volunt; nos contrà, amplissimum hoc virilis officii munus concedi fœminis planè nolumus, easque ad colum & quasillum ablegamus. Fœminam enim, ut alia silentio præteream, inter Viros versari & vagari vel ipse pudor naturalis non permittit.

L X V I.

Illud verò elector Legati diligenter observe, ut Legatum quàm maximè gratum ei, ad quem mittit, eligat. *Gratia enim plus valet, quàm omnis reliquus prudentia, omniumque dicendi & agendi artium apparatus. Kirchn. 1. de leg. 4. n. 238.*

L X V I I.

Gratia autem illa vel à NATURÂ ipsâ proficiscitur, ut est sanguinis propinquitas; vel à BENEFICIIS & MERITIS olim invicem præstitis; vel à SIMILI EDUCATIONE, sive in studiis, sive in militiâ. Tales Legatos, ipsâ gratiâ multa præstitisse, quæ fortè alii non præstitissent, exempla docent *Menenii Agrippæ ad plebem, & aliorum. Justinianus Imperator, cum ad Cosrhoem Persarum Regem Medicum suum (cujus industriâ antè à periculosissimo morbo Persa liberatus erat) misisset, non solum pacem, quam petebat, sed & perpetuam amicitiam (Procopio teste) impetravit.*

L X I I X.

Infestam verò & ingratham Personam mittere, maximè est incon-

10
inconsultum. Licet enim is (ut ait Kirchnerus) Nestoris prudentiam, Periclis eloquentiam, Catonis gravitatem, Pompeji auctoritatem habeat comitem, plus tamen nocebit causae, quam proderit.

L X I X.

Non mitti itaque debent, qui Principem, ad quem eundem, offenderunt, vel dicto, vel facto, aut scripto aliquo famam ejus prosciderunt. In talium enim Principum & Magnatum animis

----- manet alta mente repostum,

si quando injurias à quocunque acceperint. Neque verò mittendi, ex eo Regno, quò mittuntur, P R O F U G I, proscripti, aut quovis modo expulsi. tales enim si mittamus, oleum & operam (quod ajunt) perdimus.

L X X.

Qui verò se S U S P E C T O S esse Principibus sciunt, indicare id debent, petereque, ne mittantur. At qui tam inconsiderantes sunt, tam legationis ambitione cœci, ut, quamvis talia nōrint, legationem tamen suscipiant, pœnas nonnunquam temeritatis & ambitionis suæ luunt. Sic Demadem olim Legatum ad Antipatrum Regem, quòd antea eundem convitiis proscidisset, interfectum scimus. Pelopida Thebano idem accidisse, Polybius narrat, (lib. 8.) qui licet optimè sciret, Alexandrum Pheræum, cujus Monarchiam destruere conabatur, maximè sibi esse infestum, legationem tamen ad eum suscepit, in quâ à Tyranno interfectus est, suâq; morte Reipublica Thebanorum (ut ille ait) incommodavit, gloriamq; illorum, quam ad hoc usq; tempus habuerunt, perdidit, propterea, quòd fidem illis, quibus minimè oportebat, habuisset. Rectiùs Cicero, qui ad Antonium, quem sibi inimicissimum sciret, ire noluerit. Consultiùs Demosthenes, qui, cum ad Philippum Macedonem, cui invisum se vehementissimè noverat, missus esset, sese ex itinere domum recepit.

L X X I.

Plus satis jam, opinor, diximus, qualis esse Legatus debeat; videamus jam porrò, an lecto, arduum hoc, laborumque plenum Legationis munus, S U S C I P E R E vel R E C U S A R E sit liberum? C O G I itaque quemvis posse ad suscipiendum hoc munus censemus, si is maximè idoneus legenti videatur;

aliusque hoc magis idoneus non reperiatur. Volunt id leges Civiles; volunt & Constitutiones quarundam Rerumpublicarum. *Inter alia prudentissima decreta & instituta Venetæ Reipubl. & hoc non est ponderis minimi, quod pœnam in eos statuerit, qui legationis munus, si à Senatu digni judicentur, recusent. Refert id Octavianus Magius civis Venetus lib. 1. cap. 2. de leg. Sic Lubecenses quoque hoc inter sua statuta habere, Besoldus meminit, (dissertatione sua de Legat. cap. 4. sect. 13.) Ne ullus, qui ad legationem à Senatu sit electus, terrâ vel mari, quocunque loci sit, sese excuset.*

LXXII.

Non desunt tamen negotia vel alia impedimenta, quæ JUSTAM merentur EXCUSATIONEM; ut, cum quis vel morbum allegat, vel senectutem, vel alia domestica negotia, quæ si non expediât, magnum sibi inde detrimentum emergere posse demonstrat. Licet tantus in nonnullis erga Patriam reperiatur nonnunquam amor, ut vel gravissimis negotiis impediti, tamen hoc onus Patriæ causâ subire non dubitent; cogitantes illud, se non sibi solis natos esse. *Exemplo nobis sit Servius ille Sulpitius, qui non magis Juris consultus, (ut inquit Cic.) quam Justitiæ fuit. Hunc non corporis infirmitas, extremaque valetudinis adversitas, ab hoc optimè de Patriâ merendi studio retinere domi potuit, quod minus in extremo spiritu, si quid labanti Reipublicæ consilii & opis ferre posset, susceptâ periculosissimâ illâ ad Antonium civitatis perduellæ profectio, experiretur, & in ipso tam laudabilis studii stadio expiraret, animamque in sinu quasi Reipublicæ deponeret. Kirchn. 1. de leg. 5. n. 8.*

LXXIII.

Qui verò ultrò in Legationum occasiones irruere, honorem largitionibus nundinari, & EMERE turpiter honestissimum hoc Reipublicæ munus volunt, eorum cupiditati & ambitioni summopere resistendum. *Kirchn. 1. de leg. 5. n. 15.* Tales enim proprium potius emolumentum, quam publicam utilitatē & commodum spectare videntur. Rectius autem facerent, si ineptitudinem suam falsi, gravissimum hoc munus, suisque viribus impar, non susciperent, quo Rempublicam in summum discrimen conjicere ob suam vel avaritiam, vel ambitionem possent.

LXXIV. Cæ-

LXXIV.

Cæterùm, cùm multitudo omnis consiliorum & actionum concordia, quæ in Legationis administratione requiritur, infesta & contraria sit; pauciores verò mitti, quàm rùm negotii gravitas, rùm missionis dignitas postulet, sordidum & cum contemptu conjunctum sit, (*ut ait Kirchn. 1. de leg. 6.*) de LEGATORUM NUMERO non ineptè quæri potest. Ubi mediam viam arripimus, censemusque, non facilè plures paucioresve, quàm binos vel ternos mittendos, nisi vel mittentis, vel ejus, ad quem mittitur, conditio aliter ferat, vel negotii gravitas postulet.

LXXV.

Unum enim mitti, nisi negotium sit exiguum, non est consultum; arduæque provinciæ legationis, vix sufficere unus potest. Plures verò, quàm binos vel ternos mittere, rùm consiliorum consensui, rùm negotii expeditioni officit. Generalem tamen hac de re regulam non facimus, sed arbitrio id mittentis relinqui volumus; præsertim cùm ex historiis videamus, aliquando plures, nonnunquam pauciores non inutiliter missos fuisse. *A` Dario ad Alexandrum, decem Legati missi. Curt. lib. 4. Ad eundem à Sambostis, quinquaginta. A` Scythis, viginti. A` Carthaginensibus ad Scipionem, triginta; ut refert quodam loco Livius. A` Romanis ad Philippum, decem. Liv. lib. 33. Ab Aetolis ad Antiochum Regem, unus. Ab iisdem ad Philippum, unus. Itidemq; ad Nabin, unus. Liv. lib. 35.*

LXXVI.

In tali verò casu, ubi multi Legati simul mittuntur, consultum est, ut aliquis eorum, qui prudentiâ, eloquentiâ & judicio cæteros superat, LEGATIONIS QUASI PRINCEPS constituatur, qui mandata exponat, responsa accipiat, & quicquid in negotio dicendum est, collegarum consilio & consensu dicat. *Besold. de leg. c. 4. sect. 10. Sic Legationis à Pyrrho ad Romanos missæ caput & princeps fuit Cyneas. Aetolicæ ad eosdem legationis princeps Phaneas erat. In Philippi Macedonis ad Annibalem eminebat Xenophanes. Sic inter decem illos ad Pop. Rom. Legatos ab Antiocho missos, Menippus & Hegesianax principes legationis (teste Livio lib. 34.) fuere.*

LXXVII.

COMITATUS Legati, quantus & qualis esse debeat, paucis videamus. NUMERUS sanè comitum definiri non potest. Id modò observetur, ne ultra justum modum sit, ut ne etiam sit infra majestatem & pompam Legationis. Diligentia ergo hïc adhibeatur, ut tùm mittentis, tùm ejus, ad quem mittitur, dignitati & facultatum modo numerus conveniat. In utramque enim partem multos sæpissimè errasse scimus. *Gallia Regum Legationes sæpenumerò & cõtemptas esse, & in odium apud externos Reges venisse, quòd nullum ferè comitatus aut solennis missionis apparatus haberent, annotat Varsevicius. Idem, Gentem nostram Legationem à Principibus Imperii unâ rhedâ vectam contemptim & indignè tulisse, testatur. Modum verò excessisse visus Cosrhoës Rex Persarum, qui Legato ad Justinianum Imperatorem quingentos addidit comites. Procop. lib. 2. de bello Persico. Multò verò plures Legati Ungarici ad Fridericum III. Imperatorem, secum adduxère. Hi enim tres cùm essent, tria millia comitum secum adduxère; sed ab Imperatore non nisi cum 200. singuli admisi sunt comitibus. Bonfin. rerum Hung. lib. ult. 11. decadis.*

LXXIIX.

Maxima illa circa QUALITATEM COMITATUS cura esse debet, ut quàm optimi & frugi habeãtur, qui honestamento potiùs Legationi & decori, quàm dedecori & pudori sint. Procul ergo sunt à Legati comitatu, Ganeones, Lenones, Parasiti, Sycophantæ, rixosi & contentiosi, cæteri que infames.

LXXIX.

Consultius autem esset, talium Nebulonum loco ADOLESCENTES aliquos Legatis adjungere, qui exterarum regiones, mores, instituta perlustrent, legationis que administrationem perspiciant, ut ipsi quoque eadem rite olim fungi queant in commodum Patriæ.

LXXX.

FÆMINAS è comitatu Legati ejicimus, cùm ob alia plurima incommoda, tùm vel ob id maximè, quòd sint garrulæ; metuendum que, ne earum garrulitate secreta prodantur.

LXXXI.

Legatus ergo, seu unus, seu plures, ubi jam rite lecti sunt;
quid

12

quid aliud restat, quàm ut **MITTANTUR**? **SOLENNITER** verò eos mitti debere, suprà in definitione diximus. Sollemnitas autem hæc missionis partim in **FORMA** Legationis, partim in **ACCIDENTIBUS** consistit. *Kirchn. 5. de leg. 7. n. 1. 2.* **FORMA** Legationis consistit in mandato, sine quo Legatio esse nequit.

LXXXII.

MANDATUM ergo, quod Legato datur, est vel **DEFINITUM**, quod ob certum aliquod negotium conficiendum datur; vel **ABSOLUTUM** seu liberum, quod in iis plerunq; rebus dari solet, quarum consilium & moderatio certa haberi nequit: atque ita fidei Legati & prudentiæ id committitur, sic tamen, ne quid inhonestum, ne quid foedum aut illicitum is committat. *Quocirca justè Pop. Rom. M. Clodium, quod libero mandato accepto turpem cum Corsis pacem fecisset, dedendum iisdem iudicavit, cumq; ab hostibus non acciperetur, publicè in custodià necari iussit. Val. Max. lib. 6. cap. 3.*

LXXXIII.

Sunt verò etiam nonnulla mandata **OCCULTA**, quæ fidei & conscientiæ Legati committuntur; eaq; sunt **LICITA**, vel **ILLICITA**. **LICITA** sunt ea, quæ de explorandis hostium consiliis & machinationibus dantur.

LXXXIV.

ILLICITA sunt, quæ ad perniciem Principum aut etiam privatorum necem dari solent. *Sic illicitum fuit illud Hannibalis Pæni mandatum, quod Legatis Antiochi, qui Carthaginenses ad bellum sociale contra Romanos sollicitarēt, occultè dederat, ut, si Senatus noller, cives ad seditionem impellerent.*

LXXXV.

Verùm talia illicita mandata non probamus, imò neque mandari, neque suscipi debere dicimus, cum, tam qui dat, quàm qui fert tale mandatum, pariter scelestè agant.

LXXXVI.

Cæterùm, mandata licita, cujuscunque generis illa sint, Legatus si qua non intelligit, explanationem eorum sibi dari petat, ut mittentis mentem assequi quàm maximè possit.

LXXXVII. FI-

LXXXVII.

FIDES ei ut habeatur, LITERAS à mittente petat. Eæ duplices sunt, aliæ in rem Legationis, aliæ in personam conceptæ. IN REM, sunt vel MANDATI, vel INSTRUCTIONIS. In illis continetur mittentis iussus, & potestas conficiendi id Legato data, cujus gratiâ missus est. His verò continetur modus & ratio mandati exequendi. *Kirchn. 1. de leg. 7.*

LXXXIIX.

IN PERSONAM conceptæ literæ duplices itidem sunt, vel COMMENDATIONIS, vel FIDEI. Illæ Legati personam commendant; hæ fidem dictis factisque ejus in negotio demandato faciunt.

LXXXIX.

Tantum de formâ Legati. ACCIDENTIA Legationis sunt partim CEREMONIÆ, partim cultus seu HABITUS Legati. CEREMONIÆ in mittendis Legatis adhibitæ, variæ à variis gentibus populisque fuere, pro varietate negotiorum, ob quæ mittebantur. Romanos alias in sagato, alias in rogato Legato mittendo adhibuisse, Romani scriptores testantur. quâ de re latè *Alb. Gentilis 1. de leg. 13.*

XC.

VESTEM Legatus habitumque decentem, majestatiq; Legationis convenientem gerat, eundemque suæ gentis retineat. Peregrinum enim qui sumit vestitum, suam gentem aspernari videtur. Cùm verò vestitus alius bellicum, alius rogatum, alius senem, alius item juvenem deceat; prudens Legatus diligentissimè observabit, ut quàm maximè decorum omniq; tempori & loco quàm accommodatissimum induat. Ex vestitu enim animus nonnunquam hominis cognosci solet.

XCI.

MANDATO accepto, Legatus, nullâ interpositâ morâ, ITINERARI SESE EXTEMPLÒ ACCINGET, negotiaq; sibi commissa celeritate, quâ potest, maximâ expediat, imiteturq; Sulpitium illum, *cujus antea meminimus*, qui (*Cicerone teste*) nocte dieq; cum vitæ etiam periculo, legationem sibi injunctam
exeque-

13
exequabatur. Neque quicquam esse puto, quo se Legatus excusare possit, quòd moram nectat; ob privata enim commoda, publica negligi minimè debent.

XCII.

RECTA verò SEMITA EANT, neque voluptatis gratiã, aut privatæ rei causã à viã deflectant vel oberrent; in evagationibus enim istis si qua eis damna obtingant, ut resarciantur sibi ea, fore non speret, immunitatesq; & privilegia amittere se sciant. Quin imò capitis pœnã nonnulli ob id affecti sunt. *Athenienses, Legatos in Arcadiam missos, quòd aliò, quàm quòd mandatum iis erat, iter fecissent, capitis pœnã affecerunt. Basilides item Moscus Legatos suos, quòd, contra mandatum, Polonia fines attigissent, gravissimis pœnis affecit.*

XCIII.

Cùm ad locum sibi destinatum venerit Legatus, solito utatur ingressu, rectaq; per portam civitatis introeat. *Clandestinus enim introitus suspectus meritò est omnibus. Kirchn. 1. de leg. 8.*

XCIV.

DE JURE porrò & SECURITATE LEGATORUM ut dicamus, ordo postulat. Legatorum NOMEN SACROSANCTUM semper & INVIOLABILE, omnium gentium consensu & jure habitum est. *Cicero, jus Legationum divino humanoq; præsidio vallatum esse, dicit. Idem jus sacrum vocat Tacitus hist. lib. 3. Jus Legatorum apud efferatissimas etiã gentes sanctissimum est. Jovius histor. lib. 18.*

XCV.

Contemptores verò juris hujus gravissimas pœnas semper luisse ob violatos Legatos, plenæ sunt exemplorum Historiæ. *Gens tota Ammonitarum ob violatos Legatos perdita est. 2. Sam. 10. Atheniensium regio à Dario ob violatam Legationem miserè vexata & vastata. Herod. in Polyhym. Romani, ob Legatos suos superbius appellatos, Corinthum, lumen totius Græciæ, extinctam esse voluerunt. Cic. in orat. pro Leg. Manil. Ab iisdem ob causam eandem Vejentes cum Rege suo Tolumnio cæsi fugatiq;. Liv. lib. 4. decad. 1.*

XCVI.

Sed, dum Legatus sacrosanctum se & inviolabilem esse au-

D

dit, non existimet, jus hoc Legationum ei tanquam asyllum
quoddam Romuli esse,

----- quod scelus omne tegebat.

Jus enim hoc TUM DEMUM VALIDUM est, si Legatus
quoque suo satisfecerit officio. Qui verò exorbitaverit, & ali-
quid contra decus & dignitatem Legationis deliquerit, eum
jus hoc non ruetur.

XC VII.

MENTITÆ ergo & FALSÆ LEGATIONI nullum est
privilegium. Mentiri autem Legationem dicitur, 1. Qui ad
neminem missus est, & tamen missum se esse fingit. 2. Qui
missus quidem est, sed non ad eum, ad quem se missum esse di-
cit. *Alb. Gent. 2. de leg. 2.* Ultrique securitatis umbraculum ob fal-
sitate[m] seu mendacium, quod omnibus bonis odiosum est,
amittunt; deprehensiq[ue] tanquam speculatores interfici jure
possunt. *Kirchn. 2. de leg. 1. n. 15.*

XC IIX.

Dubitatur à nonnullis, An is, PER CUJUS REGIONEM
LEGATUS TRANSIT, eidem jura præstare Legationis te-
neatur? Nos id affirmamus, cum id tam juri Gentium (quod
Legatis ubique vias patefacit, sanctosq[ue] ubiq[ue] regionum facit)
quàm juri Naturali (quo omnia itinera libera existunt) maximè
sit consentaneum. *Kirchn. 2. de leg. 2. n. 1.* Injustè ergo, *Kirchnero ju-
dice, fecère Athenienses, quod Regis Persarum Legatos ad Pop. Sparta-
num missos interceperunt.*

XC IIX.

Si ad HOSTES quoq[ue] NOSTROS mittantur Legati, mul-
ti sunt tam scrupulosi, ut peccare contra jus Gentium, imò &
Naturale dicant, qui hos tales intercipere conentur. Hæc ta-
men eorum sententia quâ ratione stare possit, non video. Quin
imò Legatos ad hostè nostrum missos intercipi posse statuimus,
ex eodem jure; quo concessum est, omnes hostiles conatus,
modo quo possumus, avertere. *Besold. de leg. cap. 5. sect. 18.* Rectis-
simè ergo *Alb. Gentilis* quæstionem hanc concludit, *Jus Legato-
rum nullam præstare securitatem, nisi apud eos, ad quos missi sunt, &
contra quos missi non sunt: lib. 2. de leg. cap. 3.* Hinc justè fecissè sta-
tuuntur

14

tuuntur Romani, quòd Macedonum Legatos, Provincias suas transeun-
tes, Romam duxerint. Liv. lib. 23.

C.

Cæterùm, LEGATUM PUNIRI etiam nonnunquam pos-
se dicimus, si ea nempe crimina admiserit, quæ jure Gentium
puniuntur: ut, si Principi, ad quem missus est, re ipsâ manuque
violentiâ injuriam intulerit. tùm enim ipso facto in Principis
potestatem delapsus, secundùm jus Gentium plecti poterit.
Kirchn. 2. de leg. 1. n. 166.

C I.

Si verò LIBERIÙS LOQUENDO Principem offenderit,
non illicò easdem pœnas illi inferendas putamus. Neque ta-
men approbamus licentiam eorum, qui sub libertate Legatio-
nis, quidvis, quod ira suggerit, effuriendum sibi putant. Liber-
tatem hîc Legato damus proferre postulata, ea tamen, quæ
justa, non quæ jure Gentium liquidò injusta sunt & injuriosa;
Licentiam verò eidem non concedimus.

C II.

Si tamen tale quid à Legato commissum fuerit: contra fas
Gentium fieri ab illis putamus, qui libertatem oris, acerbîus
quàm fieri debeat, vindicare volunt. *Injustè fecit Emanuel Imp.*
Constantinopolitanus, qui Dandalum, Legatum Venetum, quòd paulò
liberiùs quædam locutus esset, oculis orbaverit. Alb. Gentil. 2. de leg. 20.
Justiùs verò Veneti, qui Legatum Gallicum injustitiæ sese accusantem,
multaq; tanti Senatus auribus intoleranda exprobrantem, equo animo
tulerunt, imò muneribus splendide honoratum dimiserunt. Kirchn. 2. de
leg. 1.

C III.

Sed & illi jus Gentium violant, qui OB INIQUA, ut eis
videtur, POSTULATA, adversùs Legatos sunt iniqui. Lega-
tis enim id fraudi esse nõ debet, quòd mittentis postulata pro-
ponant. Et licet cuique ea petere, quæ sibi perenda arbitratur:
& eadem etiam libertate quis recusare potest, quæ non conce-
denda putat. Mittenti ergo id porîus imputari debet, quàm
Legato, qui, qualiacunque à Principe acceperit, profert. *Lauda-*
tissimèq; fecit Dux Burgundiæ Carolus, qui multa à Cancellario Regis



*Ludovici XI. in se dicta, nō ipsi, sed Regi adscripsit: ut habet Comineus
lib. 1. hist. sua de bello Gallico.*

CIV.

Violant & illi jus Gentium, qui IN LEGATIS VETERES
INIMICITIAS & OFFENSIONES ULCISCUNTUR. Licet
stolidè illi faciant Legati, qui ad eos iter suscipiunt, quos sibi
inensos esse sciunt. Iniquè ergo fecere Antipater, & Alexander Phe-
raeus, quorum alter Demadem Atheniensem, alter Pelopidam, inimicos
uterq; suos, Legatos ad se missos, necârunt.

CV.

Diximus paulò antè de Legato, qui aliquid in Principem
commisit. Si verò quid IN PRIVATUM DELIQUERIT?
Utique non pari puniendum pœnâ, ratio ipsa docet. Illa enim
publica persona est; hæc privata.

CVI.

COMITUM verò Legati, si quis quid commiserit, sciendum
est, eum in talibus delictis, ob quæ commissa Legatus capitis
pœnam non subit, nec ipsum capite plecti debere. In gravio-
ribus verò delictis, quæ graviolem pœnam jure Gentium me-
rentur, proportio Geometrica est observanda, comesque gra-
vius, quàm Legatus, puniri debet. Kirchn. 2. de leg. 1. n. ult.

CVII.

Postquam Legatus ad locum sibi destinatū pervenerit, mu-
neris erit ejus, ad quem missus est, eundem quàm honorificen-
tissimè ut EXCIPIAT, quàm humanissimè ADMITTAT.

CIIX.

EXCEPTIO consistit in OCCURSU honorifico, pro cu-
jusvis conditione. Estque hoc Populorum omnium moribus
receptum, atque adeo barbarorum etiam institutis comproba-
tum, ut exterorum Legationes quàm honorificentissimè exci-
perentur. Romanorum quanta cura fuerit, honorificè excipiendi Le-
gatos, plena sunt exemplorum Historia. Hi peculiarem Magistratum
habuère, qui exterorum Legatos quàm honorificè exciperet. Veneto-
rum quòq; Rempubicam ob idem erga exteros Legatos studium laudat
Octavius Magius.

CIX. In-

CIX.

Ingresso urbem Legato, HOSPITIUM honoris ergò præbebitur, atque alimenta subministrabuntur. *Observatum id fuit Romæ, ubi, teste Varrone, publica fuere hospitia, in qua Legati deducebantur, ut quasi in luce, & oculis civitatis habitarent, & ut inter alia (sicut Kirchn. 2. de leg. 2. n. 28. putat) observari Legati possent, quid agerent, quid molirentur.*

CX.

Licet verò quis Legatum minùs splendide & magnificè exceperit, non propterea violasse jus Legationis dici debet. Hoc enim non ex jure Gentium dependet, sed ex arbitrio excipientis, prætermitti que salvo jure Legationis potest.

CXI.

Antequam Legatus ad mandati expositionem accersatur, DOMESTICA EJUS CONVERSATIO qualis esse debeat, paucis videamus. SPLENDORIS semper memor esse debet. Nullâ enim re faciliùs contemptus provocatur, quàm sordibus atque infra dignitatem parsimoniâ. *Kirchn. 2. de leg. 3. n. 25.*

CXII.

Non solùm ergo aliorum Principum Magnarumque CONVIVIA lubens accedat, sed ipse etiam eadem instituat. *Multùm enim hoc cùm ad animorum explorationem, tum benevolentia & amicitia conjunctione facit. Kirchn. 2. de leg. 3. n. 28.* Ne tamen in iisdem exhibendis nimis sit prodigus. Domus enim ejus continentia quasi quædâ specula esse debet. Luxum ergo omnè aversetur, temperansq; sit; ebrietatem verò ceu pestem fugiat. Ita enim sæpissimè secreta revelari, quis nescit?

CXIII.

COMITES rixosos, petulantes, libidinosos in domo suâ ne patiatur, ne in odium hominum vel ob unius insolentiam (quod evenire sæpissimè solet) tota familia incurrat. Ne tandem nimis sit omnibus FAMILIARIS. Nimia enim familiaritas (ut dicitur) parit contemptum.

CXIV.

Cæterùm, Legatus summo studio nitatur, ut MANDATA sua EXPONERE, responsumq; referre QUÀM CITISSIMÈ



possit; sunt enim nonnulli tam superbi & insolentes, ut Legatos diutissimè interdum detineant. Quia verò hi tales cogi nolunt, sed rogari; prudentia ei adhibenda est, ut pro loco & tempore varia consilia quærat, quibus id, quod vult, assequi possit.

C X V.

Operam porrò idem det, ut semper AD EXPONENDUM MANDATUM SIT PARATUS, ne tùm, cùm minimè sperâssent, accersitus, imparatus accedat, adeoque ludibrio potius sit, quàm commodo, suis negotiis. *In usu id fuisse Carolo V. Imperatori, testatur Varsevicius, ut Legatos maximè securos, eo potissimum tempore, quo minimè sperâssent, minimèq; paratos eos existimabat, ad exponenda mandata vocârit.*

C X V I.

Accersitos Legatos IPSE PRINCEPS, ad quem missi sunt, AUDIAT; maximè enim id ad Legationis dignitatem pertinet, videturque contemni is, qui mittit, cùm ejus Legatus ad ipsum Principem non admittitur. *Quare non immeritò Matthæus Langius, Maximiliani I. ad Julium II. Pontificem Orator, ad tres Cardinales, quos Papa ad audiendam Legationem constituerat, descendere noluit; cùmq; illi ministros suos ad tractandum cum Legato misissent, ipse similiter tres ex suis ad eos remisit. ex Guicciardino Kirchn. 2. de leg. 4. n. 46.*

C X V I I.

Deductus Legatus noster honorificè, ut decet, ad Principem, FORTI SIT ANIMO: neque eum turba terreat insolita, quæ in aulis Regum vel Principum esse solet: neque timeat, Principis quoque ipsius aspectum torvum & severum, licèt ipsi Cyclops aliquis, vel Basilides, quo crudeliorem Sol nunquam aspexit, adeundus sit. ACCEDAT INTREPIDÉ.

C X I I X.

Irreverenter tamen ne accedat, inprimisque PRINCEPES HONORIFICÉ SALUTET. *Hoc enim primum (inquit Kirchn.) benevolentia auspiciū est, & favoris initium. Saluter verò eundem EO MODO, quo in ejus regione, ex quâ venit, salutare moris est. Sapit enim quandam abjectionem, cùm quis suis mori-*

116
moribus contemptis, alienos mutuo sumit. *Basilides Moscorum*
ob id Legato suo vehementissime iratus fuit, quod pedem Pontificis præ-
ter gentis suæ morem osculatus esset. *Kirchn. 2. de leg. 5. n. 30.*

C X I X.

Principe, ut decet, salutato, **DEBITUM SIBI LOCUM** Le-
gatus jure postulabit, neq; jus sedendi sibi debitum negari sibi
patietur. Sedere enim, quàm stare, cum honoratius sit, in hac
quoque parte dignitatem sui Principis tuebitur. *Quæ in re lau-*
dandus merito est Legatus quidam Caroli V. ad Casarem Turcicum,
qui, cum nullam sellam inveniret, quâ sederet, ne sibi jus antiquum
eriperetur, pallium sibi detractum potius in scabelli usum collegit, ex
eoq; tanquã ex scamno oravit; quod cum mandato exposito regrediens,
humi relinqueret, interrogatus à barbaris, cur pallium relinqueret? Im-
peratorem suum non solere sellas portare, respondit. ex Varsevicio Kirch.
de leg. 2. cap. 5. n. 63.

C X X.

His omnibus ritè peractis, **MANDATA Domini sui EXPON-**
NET. Exponat autem summâ cum fide, ac si ipse ejus Domi-
nus præsens agat. Hac virtute nihil prius, nihil antiquius esse
debet Legato. Observet ergo, ne aliud stans, aliud sedens lo-
quatur, ne contra mentem Principis sui quid proferat, ne ad-
versus suæ Legationis postulata vel publicè, vel privatim
quid sentiat; multisque hanc perfidiam capitalem fuisse cogi-
ter. *Regulus itaq; ille Romanus à perfidiâ vix immunis fuisse nonnullis*
censetur, qui à Carthaginensibus ad Romanos missus, contra postulata
sibi à Carthaginensibus data differuerit. Aut enim talia mandata susci-
pere prorsus non debuerat, aut suscepta fideliter obire. Metrodorus quoq;
Mithridatis ad Tigranem Legatus, ut ei arma adversus Romanos tollere
persuaderet, missus, cum is, se ut Legatû suadere, ut Consiliarium impro-
bare diceret, in Domini sui potestatem redactus, merito supplicio affectus
est. Plutarch. in Lucullo.

C X X I.

Dubitatur hîc à nonnullis: 1. An Legatis certi mandati fi-
nes transgredi liceat? Multi sunt, qui id negant. Nos distin-
guendum putamus, ita ut in liberis quidem & absolutis man-
datis aliquando liceat, ubi nempe (ut fieri nonnunquam solet)
illud

illud additur, ut, quicquid è re mittentis esse videatur, illud Legatus agat. Aliàs, ubi id non additur, Legato fines transfili-
re mandati nefas; potiùsque (*ut Kirchneri est sententia*) domum
re infectâ reverti debet, quàm aliud agere, ac præscripti ra-
tio exigit.

C X X I I.

Quæritur 2. Si postulata sint adversùs pietatem, vel justi-
tiam, an, si ea Legatus non exequatur, infidelitatis argui
possit? Respondemus, suscipi planè talia mandata à Legato
non debere, quæ contra Deum sunt. Principi enim suo licèt
sit obligatus, magis tamen Deo, Principis sui Domino: de-
betque (*ut Alb. Gentil. 3. de leg. 15. ait*) malle peccare in Principem,
quàm in DEUM, & (*ut Kirchnerus*) cum Papiniano potiùs
securim pati, quàm injustis & impiis mandatis animum ad-
jicere.

C X X I I I.

Videamus nunc paucis, quo SERMONE & quali Oratione
Domini sui mandata exponere debeat Legatus? De linguâ
seu IDIOMATE, quo loqui debeat, ambigitur à nonnullis:
quidam putant, eâ linguâ, quam Princeps, ad quem missus est,
intelligit, loqui eum debere: multa que incommoda oriri inde
dicunt, si quis propriâ loquatur linguâ. Per Interpretem (*ajunt*)
ita rectè agi non posse, quòd is quandoq; mentem Legati non
rectè percipiat, & si percipiat, multos tamen Interpretes esse
infideles, &c.

C X X I V.

Nos verò, tantum abest, ut negemus, Legatum peritum lin-
guæ ejus, ad quem mittitur, loci esse debere, ut id maximè ab
eodem exoptamus: veruntamen dicimus, videri id contra
majestatem Legationis, & servile esse, peregrino uti sermone.
*Quis enim nescit, Imperantes subditos suos coëgisse, ut sermone suo lo-
querentur? Factum est id à Romanis veteribus, qui præsidibus & judi-
cibus suis hoc mandabant, ne alio quàm Latino sermone decreta in Pro-
vinciis Romanis promulgarentur. Idem nuper Bohemis injunctum sci-
mus, ut ne patrio, sed Victoris sermone, Ratisponâ hunc ad se venientem
exciperent. Rectè verò Rudolphus I. Rom. Imp. & Ludovicus XII. Fran-
corum Rex, quòd cum servile esse animadverterent, alieno sermone uti
in re-*

117
in rebus, quæ Majestatis propriae sunt, ille in Germaniâ, hic in Galliâ, Latino sermone sublato, proprium idioma in curias introduxerunt.

C X X V.

Noster itaque Legatus, si asserere Legationis dignitatem velit, ut velle debet, licet maximè peregrinam linguam calleat, propriâ tamen seu vernaculâ linguâ dicat. Si tamen Latinâ ei uti visum fuerit, ad eos, quibus ista non ignota, non incusandus videretur.

C X X V I.

QUALI VERÒ ORATIONE uti Legatus debeat, prudentiæ ejus committimus, ut ipse noverit, quando brevi, quando longâ oratione, quando jucundâ, quando gravi, utendum sit. Longâ enim oratione non omnes delectantur, nonnulli longiorem amant. *Alphonsum Regem Arragoniæ aliquando Legatum Venetum tantâ attentione audivisse accepimus, ut muscam, quæ ab initio orationis ad finem usq; in Regis naso sederat, non senserit. Contrâ, Atheniensem Legati à Syllâ irrisi, quod tantam habuissent orationem, ut, dum finem ejusdem dicerent, priorum, quæ ab initio dicebantur, oblitifuerint.*

C X X V I I.

Videat præterea, NE SUPERBÈ seu arroganter loquatur. *Superba enim oratio omnibus est odiosa.* NE DEJECTÈ tamen nimis loquatur, ne contemptum incurrat. Caveat verò, NE QUID INCAUTÈ dicat, vel faciat. *Multis enim vel unicum verbum incautiùs prolatum per jugulum rediit.* Hoc si faciet Legatus, absq; dubio optatum finem suæ Legationis assequetur.

C X X I X.

Mandatis fideliter expositis, summo studio curabit, ut quàm CITISSIMÈ RESPONSUM referat. Ne tamen in responso petendo importunus esse videatur, prudentiam adhibeat, per quam aliquando tale quid excogitet, quo dimissionè eò citiùs cõsequi possit. *Lepida narratur Historia de Legatis Perusinis, qui, cum ad Urbanum Pontificem tùm agrum admissi essent, injunctumq; eis esset, ut quàm brevissimè mandata exponerent, alter eorû, ne fortè labor suus periret, sepositâ nauseâ Papa, longam habuit oratio-*

E

nem. Rogante Papâ, nunquid aliud in mandatis haberent? Exorsus alter, Sanctissime Papa, (inquit) mandatum nobis est, ut, nisi quamprimum, quale volumus, responsum accipiamus, collega hic meus longè prolixiore oratione priora repetat. Quo audito, Pontifex sinè morâ Legatos dato responso dimisit. Besold. ex Arum. eo.

C X X I X.

SINE RESPONSO autem domum Legatus non redibit, ut nec cum inepto & ambiguo. Tales enim responsiones dari à nonnullis solere, Historiæ testatur. Notum est illud Caroli V. Imperatoris responsum, Legato Francisci I. Galliarum Regi datum, qui, cum idem sibi, quod fratri suo, Gallia Regi, (res erat de Ducatu Mediolanensi) placere respondisset, Legatus, responso non intellecto, domum reversus vanâ spe Ducatus Mediolanensis Regem suum inescavit.

C X X X.

Bene ergo Legatus, quid responsi accipiat, perpendat, nec sibi imponi patiatur. Petat sibi præterea RESPONSUM IN SCRIPTO dari, idq; ubi obscurius, exponi, Principisq; manu subscribi. *Litera enim (ut dicitur) scripta manet.*

C X X X I.

Princeps verò congrua responsa Legatis reddat, non superba & arrogancia, (sine causâ.) Talia enim omnibus exosa sunt, multisque exitio fuere. *Avorum nostrorum memoriâ Gallia id Regno accidit, quod, ob asperius Regis sui verbum, (teste Cominaeo) Burgundicis armis totum ferme pessum iit.*

C X X X I I.

Responso accepto, Legatus è vestigio sese itineri accingat, studeatque, ut maturè, utq; honorificè DIMITTATUR. MATURÈ, diximus: pro desertore enim Legationis eum habemus, qui, responso accepto, aut diutiùs, aut profus emanet. *Kirchn. 2. de leg. 9.* HONORIFICÈ verò ut dimittatur: ne suâ culpâ causam præbeat, quò minùs diutiùs detentus, infideliter & imprudenter administrati muneris poenam luat.

C X X X I I I.

Principis verò boni est, si Legatus officio suo rectè functus fuerit,

109
fuerit, eundem honorificè dimittere, ut idem ejus Legato, si quem mittat, vicissim præstetur. Idem operam dabit, ut Legati, sicut accedendi tutum iter habuerunt, ita recedendi quoque eadem ipsis præstetur securitas.

C X X X I V.

Cæterùm, in honorificâ Legati dimissione, cùm à multis munera Legatis exhiberi solita sint, & nunc quoque soleant: quæri potest, An Legatus munera accipere debeat? Negaturq; id à multis, qui multa afferunt in medium exempla Rerumpubl. quæ Legatis suis muneribus sumendis interdixere. Athenienses, nonnullos Legatos suos ob munera ab exteris sumpta, pecuniâ, quosdam etiam capite mulctarunt. Veneti item Legatis suis sumere munera gravissimis pœnis interdicunt. Dicunt porrò, Qui à quocunq; pecuniam recipit, eum sui ipsius Dominum illum constituere; & quòd, qui semel munera acceperit, non jam constans manere possit iudex publicorû commodorum. Alb. Gent. 3. de leg. 13. &c.

C X X X V.

Nos, salvo aliorum iudicio, distinguendum putamus; dicimusque, Legatum NON OMNIA MUNERA, NEQUE AB OMNIBUS indiscriminatim sumere debere: & AB HOSTIBUS quidem NULLA esse accipienda existimamus. Talia enim corruptionis suspicionem semper pariunt; cùm non sit moris, Legatos hostium, honoris causâ munerari. Kirchn. 2. de leg. 9. n. 79. AD AMICOS verò seu confœderatos Populos cùm mittitur Legatus, in iis præsertim rebus, in quibus nulla corruptionis est causa, quin munera is accipere possit, non dubitamus.

C X X X V I.

Prudentiâ ergo hîc Legati summâ opus est, ut diligenter attendat, quorum & quando honestius sit munera relinquere, vel sumere. Laudanda est prudens illa abstinentia Andreae Pauli, Legati quondam Augusti Electoris Saxonie ad Venetos, qui, cùm preciosâ navi, rebus preciosis refertâ, à Venetis honoris ergò donaretur, maximis actis gratis, nil sumere voluit, præter aulæa quadâ, quibus intexta Saxonis fuerât insignia, ut quam abstinentiam Veneti suis injungunt, in extero eandem voluntariam cognoscerent. Kirchn. 2. de leg. 9. n. 98.

CXXXVII.

Ad honorificam præterea dimissionem multum facit, si Legato ABEUNTI DUCES & COMITES ADDANTUR, qui certa itinera ostendant, si viatica præstentur, omniaq; loca visu & cognitu digna eidem ostendantur. *Kirchn. 2. de leg. 9.*

CXXXIIX.

Quæri potest, An etiam Thesaurus Legatis ostendi debeat? Quod nos quidem improbamus. Ostentatio enim pecuniarum levitatem quandam in se habet, multumq; invidiæ trahit. *Kirchn. ibid.*

CXXXIX.

Restat tandem, ut, quid domum REVERSUS facere debeat Legatus, cognoscamus. RENUNCIARE ergo Principi suo omnia Legationis suæ gesta debet. Per GESTA, hîc ea omnia intelligimus, quæ non solum ad mandatî expositionem, responsionemque pertinent; sed etiam ea, quæ ad exceptionem honorificam, mores, & ingenia eorum, ad quos missus erat, ad eorundem potentiam, opes, leges, instituta, & similia attinent.

CXL.

In renunciando autem fidelis sit, nihil simulet, dissimuletve, nihil reticeat, sed omnia candidè referat, quæ scire Principem, vel Rempublicam interest.

CXLI.

Sciat autem Legatus, se Legationem deponere non posse, antequam Principi renuncianda renunciât. aliàs pro desertore habebitur, meritoque punietur.

CXLII.

Quæstio hîc moveri potest, SI MALUM LEGATIO EJUS SIT SORTITA FINEM, num Princeps eum punire debeat? Dicimus ergo, si à Legato negligenter dolosève & fraudulentè actum sit negotium, nullum esse dubium, quin puniri possit.

CXLIII.

Quòd si nihil tale adversum Legatum probari possit, quin potius,

potius, si negotium suum summâ cum fide peregerit, nihilo-
minus tamen malè cesserit, cum eventus non sit in ejus pote-
state, Principi id potius, ad quem missus est, non verò ipsi Le-
gato, adscribendum esse censemus.

CXLIV.

Imò verò hanc ejus diligentiam, industriam, laborem, tot
tantaque pericula pro se suscepta, honoribus præmiisq; dignis
rependat Princeps, ut, honorum & præmiorum conspectu, alii
etiam ad Legationum pericula, laboresque eosdem sus-
cipiendos pro Principe sive Repub. alacriores
efficiantur.

Thesi 1. lin. 2. legatur: conficiendo solenniter missus, ab eo, &c.

F I N I S.



E 3



ILLUSTRI & GENEROSISSIMO
DOMINO,

DN. RAPHAELI, Comiti de Leszno,
Palatinidæ Belzensi, &c. de Legato
& Legatione publicè dispu-
tanti,
Gratulabundi acclamant Cultores
ac Clientes.

I.



*V*is sit Legatus verus; Legatio qualis;
Legati officium, dexteritasq; fides;
Quomodo mandetur, simul & benè suscipiatur,
Ac deponatur, quicquid id officii est;
Pro cathedrâ nobis quòd nunc, COMES inclyte, pandis,
Divitis ingenii de locuplete penu:
Obstupeo, ac tantæ miror conamina mentis,
Virtutiq; sacro talia vota tuæ;
Vivat Nestoreos, vivat COMES optimus, annos!
Sic faveant votis Sidera cuncta meis.

Observantissimi affectûs testimonium
P.

M. LUDOVICUS LUCIUS,
Organi Logici in Academiâ Ba-
fileensi Professor, & Collegii
Philosophorum p.t. De-
curio.

II. HOR-

II.

HORRIDUS Alcidem tenerum non terruit anguis:
In cunis natum se probat esse Jove.
 Sic quicumq; legit, COMES, hæc monumenta, fateri
 Cogitur, antiquis Te genitum esse Diis.

P. animo humillimo,

JOHANNES SCRETA Schotnovius à Zavorzitz,
 Pragâ-Boh. M. D.

III.

ITALA LESCINIUM tellus, VENETIQ; potentes
 Viderunt, Regis referentem & verba Senatus:
 Quâq; Borysthenium vasto ruit impete flumen,
 Moscua quâ flavas Neglinaq; volvit arenas,
 Exposuere Tui Gentiles jussa Tyranno,
 Quæ Patria, & summi dederant mandata Dynasta.
 Auduit, & stupuit Legatum Caesaris alti
 Slesia LESCINIUM; mirata Polonia civem
 Principis externi res non sine laude gerentem,
 Ungara cum campis volitarent signa Silesis,
 Matthiâ Hunniade ductore, atq; hoste Bohemis.
 Te, quem virtutes cunctas & facta Tuorum
 Irreprehensa sequi decet, atq; imitando referre,
 Gaudeo, non dubio vestigia figere gressu,
 Historia ac Sophia ex hortis decerpere passim,
 Quæ rebus faciant olim prudenter agendis.
 Gratulor, atque favens Numen conatibus opto,
 Quodq; Tibi ingenii vires & corporis aquet,
 Ut, quod prudenter quondam meditabere, dextrâ
 Fortiter asserere & possis prestare valente.

Humilimæ observantiæ testandæ ergo P.

J. Wundergast.

IV. IN-



IV.

INCLYTA praelustri de sanguine ducta propago,
 Sarmatici RAPHAEL luxq̄ jubarq̄ soli.
 Eximiis qui se Musarum dotibus ornat,
 Et variâ mentem cognitione rigat.
 En, nunc Rauriciam scandens (res magna!) Cathedram,
 De LEGATORUM JURE disertus agit.
 Ipsius obverso dum lumine lumina lustro;
 Lumina, quæ radios Solis ad instar habent:
 Augustam veneror generosi pectoris umbram,
 Quæq̄ sub excelsa tot bona Corde latent.
 Nascitur inde mihi tacito sub pectore Votum,
 Quod numeris subigit conscia Musa suis.
 Salve LESCINIAE STIRPIS FLOS inclyte, Salve
 O' COMES, & COMITI subdita turba Tibi!

Gratulabundus accineb.

VALENTINUS Schönborn Budisâ-Lufarus.

V.

MAGNUM est, illustri tot avorum stemmate nasci:
 Majus adhuc, studiis condecorare genus.
 Hoc, Generose COMES, quoq̄ Te perpendere constat,
 Dum de LEGATIS differis eximié.
 Omen inest rebus: Legabere namque frequenter
 Ad Regum ob causas culmina celsa graves.

Honoris & devotæ subjectionis ergo

P.

BERNHARDUS BURCKHARDUS Basil.
 LL. Studiosus



Basel, Diss., 1616/30

(+ 261 2333)

VD 17





J. R. Burckhardi
Genath

D. O. M. A.
DISSERTATIO POLITICA
DE

LEGATO ET
LEGATIONE.

QVAM
RAPHAEL COMES DE LESNO,
PALATINIDES BELSENSIS, ETC.

Sub prasidio
Consultissimi & Excellentissimi VIRI,
DN. JOAN. RUDOLPHI BURCKHARDI,
J. U. D. & Philosophiæ Practicæ in celeberrimâ
Rauracorum Academiâ Professoris ordi-
narii, designati R E C T O R I S
Magnifici,

Publica ventilationi subicit
Addiem 13. Junii, Anni c1o 1o cxxviii.



BASILEÆ,
Typis descriebat JOAN. JACOBUS GENATH.

18
2369
1628
13

